

¹ Visus enim matutinum postulat lumen. Nam quaecumque loca frigida
² spectant, humore vitiantur; quoniam venti humidi, spirantes madidos
 flatus, omnia ³ pallore corrumpunt. Triclinia verna, & autumnalia ad ori-
 entem spectare debent, ⁴ ut gratiora sint, quod his uti solitum est. Aesti-
 va triclinia ad Septentrionem spectare debent; quod ea regio, ⁵ praeter
 ceteras, frigidior est, & solstitiali tempore jucundam sanitatis voluptatem
 corporibus praestat.

XV.

De mensuris Aedificiorum.

Tricliniorum, & conclavium quanta latitudo & longitudo fuerit ⁶ in
 uno computata mensura, ex ea medietas altitudini tribuatur. Si au-
 tem exedrae, ⁷ aut oeci quadrati fuerint, media pars mensurae in altitudi-
 nem struatur. Pinacothecae & Plumariorum officinae in parte septentrionali
 sunt constituendae; ut colores, & purpurae sine vitio reserventur. De va-
 poratis enim regionibus corruptelae nascuntur.

XVI.

De Fabrica Balnearum.

Balneis locus eligendus est contra occasum hibernum, aut partem
 meridianam; ut sole decedente ⁸ vaporetur ⁹ usque ad vesperum,
 quod

certe apta visa sunt. In Codicibus legitur,
proximi.

¹ VISVS ENIM &c.] vocabulum, *Visus*,
 descriptum est in Cod. R. 1. & in Ed. V.:
 at in Cod. R. 2. vocabulum *usus* vel descri-
 pserunt, vel scripserunt permoti auctoritate
 Vitruvii, qui (Libro VI. Cap. VII. quo
 variae partes hujusce nostri Articuli continen-
 tur) *Visus enim*, ait, *matutinum postulat lu-
 men.*

² SPECTANT, HUMORE VITIANTVR;
 QVONIAM] Ita Cod. R. 2. cui hoc quo-
 que loco parere placuit. Mendosa enim
 haud dubie sunt quae habet Cod. R. 1. *spe-
 ctantur umorem, videantur, quomodo.* Ed. V.
spectantur umore, videntur, quoniam.

³ PALLORE] Vocem hanc, in qua con-
 sentiunt Cod. R. 1. & Ed. V. non reperies
 in Cod. R. 2.

⁴ VT GRATIORA SINT, QVOD HIS
 VTI SOLITVM EST. AESTIVA TRICLI-
 NIA AD SEPTENTRIONEM SPECTA-

RE DEBENT] Omnia verba haec, quae le-
 guntur in Cod. R. 2. & in Ed. V. & quae
 ipso Vitruvii (Cap. cit.) textu probantur,
 desunt in Cod. R. 1. praetermissa haud du-
 bie Amanuensis incuria.

⁵ PRAETER CETERAS] Cod. R. 2.
pra ceteris.

⁶ IN VNO COMPUTATA MENSURA]
 Cod. R. 2. *in unam computa mensuram.*

⁷ AVT OECI QVADRATI] Cod. R. 1.
aut tyicii quadrati: Ed. V. *aut xisti quadra-
 ti:* Cod. R. 2. *aut quadrati.* Sed oeci esse
 legendum plane credidi, cum Vitruvius
 (Lib. VI. Cap. 6.) agat de *oecis*, ubi praeci-
 pit, ut *altitudines eorum dimidia latitudinis
 addita constituentur.*

⁸ VAPORETVR] Nempe, calore tem-
 peretur. Horatius (Lib. I. Ep. 16. v. 7.)
aspiciat Sol:

Laeum discedens curru fugiente vaporet.

⁹ VSQVE AD VESPERVM, QVOD]
 Ita